

FLORA.

N^o. 3.

Regensburg. Ausgegeben den 4. Februar. 1865.

Inhalt. F. A. G. Miquel: Synopsis specierum Casuarinae. (Schluss). — H. Wydler: Cyperus Papyrus. Berichtigung und Nachtrag. — Litteratur. — Personalnachrichten. — Botanische Notizen. — Botanische Neuigkeiten im Buchhandel — Danksagung. — Verzeichniss der im J. 1865 für die Sammlungen der kgl. bot. Gesellschaft eingegangenen Beiträge.

Synopsis specierum Casuarinae.

Auctore F. A. G. Miquel.

(Schluss.)

20. *C. nodiflora* Forst, ramulis tenuissimis breviusculis simplicibus vel pauciramulosis quasi dichotomis tetraquetris, internodiis $\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{3}$ lin. longis, vaginarum dentibus 4 ovato-triangularibus acutis carinatis pallido-marginatis adpressis; amentis masc. terminalibus brevibus basi nunc compositis; strobilis subterminalibus paucis subglobosis, bracteolis ellipticis exsertis.

C. nodiflora Forst. Prodr. n. 335. Gaertn. de fr. et sem. pl. II. p. 63. tab. 91. Miq. Rev. p. 15. tab. I. fig. A., excl. var. *robusta*. Fl. Ind. bat. I. 1. p. 873. excl. syn. Rumph.

Nova Caledonia.

21. *C. Webbiana* Miq. n. sp. ramulis ultimis plerumque regulariter alternis elongatis tenuiusculis subflaccidis vulgo indivisis tetraquetris, internodiis 1— fere 3 ut plurimum $2\frac{1}{2}$ lin. circiter longis, vaginarum dentibus 4 lato-ovatis obtusissimis albidomarginatis adpressis, extus convexis ima basi tantum carinatis; amentis masc. . . . ; strobilis parvis subglobosis, bracteolis exsertis ellipticis.

Borneo. — Nova Caledonia?

Flora 1865.

C. nodiflora Forst. var. *robustior* Miq. Rev. p. 17. tab. I. fig. B. (incompleta, ad specimen tenerius).

22. *C. Drummondiana* Miq. ramis ramulisque subconformibus, his oppositis et verticillatis patentibus rigidis abbreviatis, ramisque angulato-teretibus, internodiis brevissimis, vaginarum dentibus 6 lanceolatis adpressis; amentis masc. terminalibus ellipsoideo-abbreviatis densifloris; strobilis . . .

C. Drummondiana Miq. Rev. p. 26. tab. I. fig. D.

Nova Hollandia austro-occid.

23. *C. microstachya* Miq. ramis ramulisque subconformibus, his oppositis et alternis quasi dichotomis, rigidis obtuse tetragonis, internodiis 1—1½, raro 2 lin. longis, vaginarum dentibus 4 lanceolato-acuminatis mox emarcidis; amentis masc. terminalibus et lateralibus conico-abbreviatis densifloris; strobilis . . .

C. microstachya Miq. Pl. Preiss. I. p. 642. Rev. p. 24. tab. I. fig. E.

Nova Hollandia austro-occid.

Species dubiae, hortenses, probabiliter ad synonyma referendae.

1. *C. Brunoniana* Miq. Rev. p. 21 (cum synon.) tab. I. fig. C. forsan pl. juvenilis *C. equisetifoliae*.

2. *C. excelsa* Dehnh. Miq. l. c. p. 23. tab. I. fig. F. probabiliter forma hortensis *C. equisetifoliae*.

3. *C. ramuliflora* Ott. et Dietr. Allg. Gartenz. 1841 p. 163. Miq. l. c. p. 38. tab. IV. fig. A., amentorum fem. situ valde diversa, alioquin autem *C. humili* adeo similis, ut formam cultura ortam fere crederem.

4. *C. truncata* Willd. Enum. h. berol. Suppl. p. 63. *C. stricta* Willd. sp. pl. IV. p. 191. et Miq. Rev. p. 53. tab. VI. fig. C., non Ait. mihi ex imperfecto specimine horti berol. tantum cognita, probabiliter alicujus cognitae speciei forma hortensis, ultra exploretur.

5. *C. sparsa* Tausch. Flora bot. Zeit. 1839. p. 480. Miq. Rev. p. 78., nimis breviter descripta. — An *C. stricta* vel *C. equisetifolia*?

§. 2. A d n o t a t i o n e s.

1. *C. glauca*. — A *C. torulosa* colore griseo-glaucos speciminum exsiccatorum, vaginis magis arctis et praesertim strobilis

polystichis distinguitur. Praeter stationes l. c. enumeratas specimina vidi ad fl. Murchison, ad portum Lincoln et prom. Lefebvre lecta. — Huic addendam esse „*C. pauper*“ Ferd. Mueller, ad Morinde et in Flinders-range lectam, strobilis supp. suadent. Specimina completa autem non vidi.

2. *C. torulosa*. Hujus, quae ex Aitoni tempore in hortis botanicis obvia, specimina sylvestria nunquam vidi. An revera ex regionibus orient. Novae Hollandiae? — Internodia medio semper tenuiora quam extremitatibus.

3. *C. quadrivalvis*. Crassitie ramulorum et magnitudine strobilorum bracteolisque nunc magis nunc minus exsertis ludit; inter varietates vel formas supra enumeratas, quae probabiliter a soli indole pendent, transitum evidentem observavi.

4. *C. montana*. Species Javæ orientalis, cujus distributionem in Fl. Ind. bat. exposui. — Formae duae habitu valde diversae, praesertim si extremas comparaveris, certo characterè nullo discriminatae, ulteriori observationi commendandae. — Tenerioris ramuli masculi saepe graciles usque 1½—2-pedales; amenta masc. et fem. etiam *C. equisetifoliae* similia; siccatorum speciminum idem color griseo-pallidus, vaginarum dentium numerus autem diversus, minor. In regione montana sup. haud raro arbores vastas sistit. — Validior *C. strictam* vel *C. torulosam* fere aemulatur, ramulis crassiuseculis, densis, strictis, ad nodos obiter sulcatis, caeteram magis teretibus. — Amenta fem. utriusque formae nunc breviter nunc distincte pedunculata, maturae magnitudine et adpectu satis diversa. Hujus robustiora, pedunculis sursum incrassatis suffulta, 19—20-sticha, foveis in singula serie perpendiculari 6—4, bracteis e lata basi cuspidulatis puberis. — Ex herb. Mus. Paris. tenerioris formae specimina vidi, *C. africana* Lour. inscripta itaque cum *C. equisetifolia* confusa.

5. *C. Cunninghamii*. Habitu varietati teneriori superioris similis, sed omnibus partibus minor, vaginarum non tumidularum sed appressarum dentium numero minore, strobilis haud adeo polystichis discernenda *C. equisetifoliae* etiam accedit. Sp. masc. nondum vidi. — Cum *C. leptocaula* permixta sp. fem. ad fl. Hastings lecta cel. Mueller misit.

6. *C. Huegeliana*. Species satis distincta, dentium numero cum *C. trichodonti* congrua, colore ramulorum, dentium forma, amentis masc. longe diversa. — Bractee strobili maturi transverse tetragonae, margine superiore denticulo munitae.

7. *C. trichodon*. — Species imperfecte cognitas, strobilis maturis nondum visis, et eo magis ulteriori examini commendanda, quum in hoc genere ramulorum et ramorum innovantium dentes vaginarum saepe longitudine et directione magis patula differant. — Aliquatenus ad *C. strictae* var. *Fraserianam* accedere videtur.

8. *C. stricta*. — Species haud rara, et si recte vidi, valde variabilis. *C. distylam* Vent. a *C. stricta* non differre, jam a b. Desfontaines in Catal. Hort. Paris. ed. 3. p. 354 indicatum, ultro mihi confirmavit amic. Fenzl (in litt.) qui specimina antiquiora in Herb. Vind. examinavit. Quam olim pro *C. stricta* vera ex horto-berol. accepi, ad hanc nequaquam pertinere, jam satis probatum est. Ad quamnam autem speciem hanc referre oporteat, e specimine sterili haud eruere potui. Conf. supra *C. truncatam*. — Formas plures, olim species dictas, nunc sub *C. stricta* conjunxi, quum characteres essentielles formis transitionariis observatis, omnino deesse videantur. — Ludit vegetatione nunc arborescente, nunc magis fruticosa, ramulis densis vel sparsis, crassioribus vel tenuioribus, amentis masc. strictis modice longis vel perquam elongatis, strobilis nunc normalibus, floribus fem. omnibus foecundis, nunc, his inferne vel superne suppressis, strobilis maturis ad extremitates constrictis. Formae tamen quas olim specierum titulo proposueram, in herbariis satis distinctae sunt; an in singulis regionibus naturaliter sibi constant et varietates i. d. geographicas exhibeant, ultro exploretur; var. *Fraseriana* praesertim strobilis crassis, bracteolis tumentibus; *rigida* ramulis crassis internodiisque longioribus recedit. — *C. stricta* genuina in Tasmania prope Yorktown et Georgetown a cl. Hooker fil. lecta frutices humiliores sistit; in herb. Mus. Paris. ex eadem insula sub n. 108 exstat, et in Sieberi Herb. Nov. holl. sub n. 330 et 348 e Nova Holl. or. provenit. Forma amentis masc. valde elongatis sub n. 326 in herb. Sieberi asservatur.

9. *C. suberosa*. — Superiori perquam similis, sed tenerior, *C. leptocladae* quodammodo accedens; ramuli densi, tenuiores, internodiisque brevioribus quam in *C. stricta*; strobili cylindrico-oblongi; bracteolae extrorsum transverse incrassatae, probabiliter in vivo coloratae (rubellae?) vertice planiusculae. — Var. *Muelleri* ramulis paullo magis angulatis, vaginarum dentibus brevioribus recedit. — Num character corticis suberosi constans sit, ab autoptis exploretur.

10. *C. paludosa*. — Speciminibus magis completis exploratur, *C. pumilam* ab hac nequaquam differre, haud dubito.

11. *C. equisetifolia*. — Species omnium maxime dispersa, a regionibus littoralibus Africae orient. per Mascarchenas* insulas, Asiam australem, Archipelagum indicum, insulas Philippinas, Novae Hollandiae oram bor. et orient., usque ad insulas magni oceani meridionalis distributa est, nec tamen in Nova Zeelandia provenit, nec in Americae litore occid. reperta est. Recentioribus temporibus autem in Africa occid. et in America calidiore plantata et probabiliter efferata haud raro occurrit. Stationibus in Revisione mea olim enumeratis adhuc addo: Sumatra occ. in Indrapura: Korthals (vaginis saepe 8-dentatis); ibidem: de Vriese; in ins. Ceram (form. gracilis, dentibus 6): Teysmann; Madagascariae regio bor. occid.: Pervillé n. 337; ins. Borboniae: herb. Mus. Paris. n. 711 (forma vaginis 6-dentatis), Sieber Fl. maurit. n. 317; in Senegalia plantata: Leprieur; in ins. Trinitatis plantata: Sieber n. 147, Nova Hollandia or.; Sieber n. 565 (vel 695?). — Singularis forma est quam b. Blume in Java legit, quamque tanquam var. *longifloram* proposui. Si revera in regione montana lecta, stationis elatioris efficacitate immutata censenda, nisi distinctam sistat speciem, qua de re vero, strobilis deficientibus, nil certi statuendum.

12. *C. leptoclada*. Huc Sieberi n. 547. Strobili nunc minores, semipollicares, nunc majores, $\frac{3}{4}$ poll. adaequantes, bracteolis elliptico-rotundatis obtusis, emarginatis vel vix subacutis, extus convexis. Singulares in hac specie e ramis ortae occurrunt magnae gemmae bulbiformes, quae forsitan amenta fem. sterilia, quasque in tabula Revisionis quarta exhibui. Florum nec bracteolarum autem vestigia detegere potui. Ad Hastings flumen pulchra specimina legit Dr. Beckler. — Ab hac specie *C. moestam* F. Muell., prope Melbourne lectam, haud diversam esse puto; vaginarum dentes saepe 6, raro 5, et amenta illa abortiva paullo minora et glabriora.

13. *C. humilis*. Species maxime variabilis ramulorum longitudine et directione, sed amentis masc. abbreviatis et strobilorum structura, bracteolis scil. depressis incrassatis baccarum instar rubentibus, cognoscenda. — *C. tephrosperma* h. Hamburg. verisimillime etiam huc pertinet, amenta tamen haud adhuc comparare potui.

14. *C. nana*, species rara videtur, post Sieberum nondum lecta.

15. *C. thuyoides*, ab omnibus bracteolis strobilorum spinoso-acutatis differt, et peculiarem fere generis sectionem expostulat.

16. *C. Decaisneanum* nondum vidi. Si revera internodia pollicaria, a sequenti abunde differt.

17. *C. tenuissima* primo adspectu *C. leptocladæ* similis, sed dentium numero facile distinguenda, et strobilorum mole et structura longius remota. — Sp. masc. in herb. Persoon. exstat, an cultum?

18. *C. Rumphiana*. Laetor, speciem ab immortali Rumphio jam descriptam et delineatam, nuper in ins. Amboina a cl. Teysmann et de Vriese, qui specimina eximia fructifera reportarunt, detectam esse. Specimen sterile Reinwardtius jam in ins. Moluccis collegerat. — Strobilorum in ramulorum parte superiore sita, internodiis brevibus quadridentatis cum *C. sumatrana*, *nodiflora* et *Webbiana* congruit, notis essentialibus ab omnibus autem diversa. Rami graciles, ramulis vulgo 3 — 4½ poll. longis subaequilongis alternis regulariter obsiti; internodia subtetraquetra, faciebus depressis et sulcatis, vaginarum dentibus anguste marginato-extenuatis, junioribus suberosulis. Strobili haud numerosi, pedunculati, nunc laterales solitarii, nunc e ramulo brevis tanquam e pedunculo communi pauci brevi-pedunculati, echinato-subglobosi, cerasi mole, octostichi, foveis in singula serie paucis; bracteae parvae vertice depressae, cordato-subtetragonae, angulis lateraliter acute productis, ad marginem superiorem denticulo s. apice exili munitae (iis *C. sumatranæ* et *C. nodifloræ* analogae), bracteolis alte exsertis haud crassis. Amenta masc. desunt.

19. *C. sumatrana*. — Distributionem in ins. Sumatra in Fl. Ind. bat. exposui. — In Bornæ austr. m. Pamatton etiam detexit cl. Korthals.

20. *C. nodiflora*. — Strobilorum structura mihi haud satis cognita. Rami ramulique tenues haud elongati, quasi dichotomi, vaginarum dentibus totis carinatis.

21. *C. Webbiana*. Specimina a h. de Vriese in Bornæ probabiliter occid. lecta exacte congruunt cum iis, quae a B. Webb donata, in Nova Caledonia a Labillardière (?) lecta olim tanquam *C. nodifloræ* var. *robustam* descripsi. Borneensia specimina vero adhuc robustiora, a *nodiflora* multo teneriore specificè diversa esse, suadent praeter habitum omnino robustum ramuli elongati plerique indivisi, internodia longiora et praesertim dentes valde obtusi. Caeterum autem ambo affines, hinc

C. Rumphiana, cui strobilorum indole similes, illuc *C. sumatrana* accedunt; haec ramulis tenuioribus a *Webbiana*, strobilis magnis eorumque fabrica ab utraque facile discernitur. — *C. Webbiana* exsiccatione fuscescit. Rami supp. cylindracei calamus scriptorium fere crassi, dentium adnatorum rudimentis striulati; ramuli ex his orti sparsi, subalterni palmares usque spithamei, inferne nudi, caeterum ramulis alternis subpinnatim instructi, qui ut plurimum omnes simplices, $\frac{1}{4}$ — $\frac{3}{4}$ pedis longi.

22. *C. Drummondiana*, ramis ramulisque rigidissimis et valde divaricatis ab omnibus differt.

23. *C. microstachya*, ramificatione densa coarctata dichotoma habitum prorsus singularem prae se fert.

§. 3. Distributio geographica.

Si *C. equisetifoliam*, ab Africae ora orientali per omnia littora maris indici et Oceani meridionalis inter tropicos habitantem excipias, reliquae species omnes distributionis areas haud extensas nobis obferunt. Quae enim in Nova Hollandia indigenae sunt, singulae nequaquam per totum hunc continentem distributae sunt, sed ad orientem aliae quam ad occidentem, aliae in australi regione inveniuntur. Sic in plagis austro-occidentalibus *C. glauca*, *Huegeliana*, *trichodon*, *suberosa*, *humilis*, *thuyoides*, *Drummondiana* et *microstachya*, in austro-orientalibus vero et partim in australibus *C. quadrivalvis*, *torulosa* (?), *Cunninghamiana*, *stricta*, *paludosa*, *leptoclada*, *nana* et *tenuissima* crescunt. In Tasmania *C. quadrivalvis*, *stricta* et *suberosa* tantum repertae sunt. — Specierum limites versus regiones hujus continentis boreales nondum satis constant. In centrali parte *C. Decaisneana* ccl. Ferd. Mueller nuper detexit.

Inter plantarum formas sic dictas Novo-hollandas quae in Archipelago indico exstant, Casuarinae genus etiam militat, species singulares ibi in regionibus montanis insularum proferens. In insulis Moluccanis, praesertim in Amboina, *C. Rumphiana*, in Java orient., in ins. Bali et Timor *C. montana*, in Sumatra et Borneo *C. sumatrana* vigent. — Nova Caledonia *C. nodifloram* gignit; an species borneensis (*C. Webbiana*) ibi etiam crescat, ultro investigandum.

Trajecti ad Rhenum, m. Novembris 1864.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1865

Band/Volume: [48](#)

Autor(en)/Author(s): Miquel F. A. W.

Artikel/Article: [Synopsis specierum Casuarinae 33-39](#)